

giis, quæ noctu totum ambitum lustrarent, ne clandestine hostes ingressi, ædificia urbi proxima incenderent. Constitutæ ad hoc ipsum passim nocturnæ stationes, ne per occasionem civitas nocturno aliquo afficeretur incommodo.

Dum hæc in urbe curantur, interim pauci quidam levioribus navigiis usi, præter Albanum ac loca quibus ex continenti Clodiam navigabatur, lintres citro ultroque meantes invadere sunt ausi: quibus per occasionem oppressis, plerique, successu animante, ad eum quæstum animum adjecere. Nullus ferme dies erat, quo non aliquod navigium interciperent: quo brevi accidit, ut ex Patavio quam paucissimi Clodiam annavigarent. Senferunt Genuenses, infessis aquis, statim deficientem commeatum. Ad eos igitur incurfus comprimendos, vel spe potius alicujus majoris rei gerendæ, cum tribus & triginta triremibus, nec non multis variisque navigiis ad bellum instructis, occupato repente portu, ad Medoacum tumultuose confederunt: atque eo loco, ubi Venetum fuerat, statuto præsidio, partem copiarum ad Popiliam expugnandam in adversum littus exponunt. Veneti, audito hostium adventu, paululum ultra Almi Spiritus fanum duabus navibus contiguo fere loco depressis, internas aquas, quibus ex Clodia Venetias navigatur, occludunt: statuuntque circa demersas aliud majus navigium cum valida sagittariorum manu. Huc usque hostium triremibus progressis, Thaddæus Justinianus qui ad fanum, quod diximus, stationem habebat, cum quinque triremibus quibus præerat, quotidie occurrebat: incessabantque se missilibus magis, quam cominus pugnarent. Leviora Venetorum navigia a lateribus incurfantia bellicis tormentis ac sagittis Ligusticas triremes affligebant. Nec interim pauci quotidianis præliis ex utraque classe cadebant. In littoribus quoque nonnunquam per occasionem pugnatum: quibus certaminibus fere semper res Veneta fuit superior. Erat enim Caballus Veronensis rei militaris peritissimus, habebatque secum lectissimum equitatum: quum hostes, qui ad Popiliam & Medoacum erant, equos non haberent. Dum hæc in aquis geruntur, Carolus Lodovici,

*Genuenses  
ad Medoa-  
cum consi-  
dent.*

*Thaddæus  
Justinianus  
Pisani colle-  
ga.*